

suche, geschichtliche Zusammenhänge zu deuten, an spezifische geschichtliche Voraussetzungen gebunden sind und durch sie ihre Begrenzung erfahren.

Darmstadt

Klaus Bringmann

## DE CATULLI CARMINE SEXTO DECIMO

*Pedicabo ego vos et irrumabo, Aureli pathice et cinaede Furi, ita blandis verbis Catullus in initio carminis, quod tractare nobis proposuimus<sup>1)</sup>, eos alloquitur, quos in carmine undecimo in caelum extulerat tamquam amicos fidelissimos nec se umquam deserturos. Hi versus numquam satis intellecti sunt, immo loci morbus quasi ulcus perniciosum etiam sanas carminis partes aggressus est et nuperrime in tot tantasque doctorum indoctorumque crevit dissertationes, ut ipse poeta carae stirpis deforme caput si vidisset non fuerit cogniturus<sup>2)</sup>.*

I. Ab illis sanis partibus nobis incipiendum est secundum praeceptum antiquum, quod iubet obscura e certis illustrare, vetat manifesta incertis obscurare. Ne umbra quidem difficultatis est in sequentibus usque ad v. 111. Falso amici, queritur poeta, impudici hominis esse putant molles versus scribere. Poetam ipsum purum esse oportet (verba *nam castum eqs.* aliquid iocosae

1) Nominibus tantum auctorum cito commentarios Catullianos Riese (1884; priores neglecti), Baehrens (1885), Ellis (ed. alteram 1889), Merrill (1893), Friedrich (1908), Kroll (ed. alteram 1929), Quinn (1970) et dissertationes: L. Ferrero, Un'introduzione a Catullo, Aug. Taurinorum 1955, pp. 96-111; L. Richardson Jr., Furi et Aureli, comites Catulli, Class. Phil. 58, 1963, 93-106 (ad nostrum carmen pp. 94 et 99 sq.); E. Schäfer, Das Verhältnis von Erlebnis und Kunstgestalt bei Catull, Hermes Einzelschriften 18, Visbadae 1966, pp. 4-13; T.E. Kinsey, Catullus 16, Latomus 25, 1966, 101-6; J. Granarolo, L'oeuvre de Catulle, Parisii 1967, pp. 220-4; H.D. Rankin, A note on some implications of Catullus 16, 11-13, Latomus 29, 1970, 119-21; N.G. Sandy, Catullus 16, Phoenix 25, 1971, 51-7; K. Quinn, Catullus, an interpretation, Londinii 1972, pp. 246 sq., 255. Alii, qui apud Sandy aliosque recentiorum citantur, nihil ad nostrum argumentum. - Qualem sequamur Latinitatem, diximus in libro E. Burck septuagenario oblato: Monumentum Chilionense, ed. E. Lefèvre, Amstelodami 1974 (debut 1971), p. 296 sq.

2) Haec maxime spectant ad Kinsey, Schäfer, Sandy, quamquam maximam partem nihil nisi repetunt perversitates Baehrensianas. Nec vereor, ne a multis eorum, qui haec legerint, nimiae severitatis accuser.

nimietatis habent, ceterum sensus planus est)<sup>3)</sup>, versus autem pruriginem inicere debent non solum adulescentibus facile in Venerem excitatis, sed etiam lassis senibus<sup>4)</sup>.

Nihilo difficilius intellegitur, quid sint versus molliculi, quid homo impudicus. Illos ad tempus eos esse definiverim, quos Fordyce e commentario omisit ut puritatem vernaculae linguae inquinaturus, si Anglice explanasset<sup>5)</sup>, hunc autem, qui facit, quae in illis dicuntur. Sed cave ne nimis anguste rem circumscribas. Nam certe omnes versus, qui quoquo modo in amore et voluptate versantur, molles dicuntur, et mille conditionibus amor nulla perversitate pollutus turpis impudicusque haberi potest, si nimius, si inconstantior, si indignus, si ostentatus, aliaque multa. Neque igitur Catullus, quod quasi omnes credunt (et ecce morbus, quem diximus e primis versibus irrepsisse), solam vel ne primo loco quidem patientiam muliebrem viro- rum in mente habet. Vetat quod de versibus dicit. An ii potissimum versus *quod pruriat incitare possunt*, qui rem e visu angusto suppressi viri depingerent? Tales versus nec sunt neque esse possunt<sup>6)</sup>.

Nec maior in ultimis difficultas, si seiunctim contempleris: *Vos, qui (quod) milia multa basiorum legistis, male me marem putatis?* Catullus se suspicatur propter Lesbiae basia contemni<sup>7)</sup>, quasi ultra basia progredi nescierit. Hic autem cardo rei est, quod

3) Recte Quinn dicit non castitatem postulari, sed ut omne genus infamiae vitetur ("should stay clear of dirty behaviour"), id est non plus quam paene quivis sibi vindicaverit.

4) Ita Kroll recte, et verba sunt manifestissima; Catullus generalem tali poesi legem imponit, nec seriam videlicet. In perversitatibus supra adn. 2 dictis maxime eam numero (repetitam etiam a Ferrero, Richardson, Granarolo), quae *hos pilosos* v. 11 Furium Aureliumque esse vult pathicos. Quae opinio quantas efficiat paradoxias, nemo melius illustrat quam ipsi qui defendunt (v. e.g.: "Das alles führt zu einer verwirrenden Potenzierung der Ebenen" Schäfer 8 cum plurimis eiusdem generis sublimis ineptiae, quae re vera idem valent ac si rem secum pugnare dixisset vel mehercle se nihil intellegere). Ad rem redibimus in sectione altera.

5) "Which do not lend themselves to comment in English".

6) Gratiae habendae Kinseio, quod rem tam manifeste ad absurdum duxit, cum Catullum et cinaedum fuisse et e cinaedi persona carmina scripsisse contendit.

7) Cf. *milia multa* c. 5, 10. Res apertissima cur multis neganda fuerit ("almost ludicrous" Quinn in libro 'Catullan revolution', p. 79), infra explicabimus. Neque negaverim etiam *milia trecenta* c. 48, 3 huc referri posse, quamquam forsitan pueri basia minus ad talem suspicionem apta fuerint quam puellae. Ceterum cave credas c. 48 esse "all the wittier for being outrageous" (Quinn, Interpretation, p. 255), quo nihil, si antiquorum medio metiaris, innocentius, nihil simplicius, nihil planius excogitari potest.

addidimus 'si seiunctim contempleris'. Eo enim a ceteris dissentimus, quod negamus hos versus propriam argumenti partem esse. Non iam refutat Catullus, quod illi sive dixerunt sive dixisse finguntur, sed affert, quod ipse eos dicere posse suspicatur: *putatis?* valet quod 'an putatis?'. Suspicionis causa autem non res est, quam reprehenderunt (impudicitia enim longe alia res est quam manca virilitas), sed ipsa iniusta reprehensio. Solent enim homines, praesertim aliqua auctoritate praediti, si peccatorem increpant, non ius violatum magis praetendere quam se contemptos esse queri. Tum saepissime causas fingunt: "An contemnis me, quia fallere posse sperabas stupidum, quia longinquum putabas, negotiis occupatum, senem infirmum, precibus feminarum cessurum?"<sup>8</sup> vel quicquid e re et tempore dici potest, veri ratione non habita. Talem etiam Catullus formulam vindicandae dignitatis in clausula appendit cum genere argumenti nulla necessitate coniunctam.

Omnes autem quod sciam critici ea, quae separanda putamus, quodam modo miscuerunt. In qua re duae sunt factiones. (1) Pauci<sup>8</sup>) utrumque crimen, et impudicitiae et impotentiae, uni mollitiae nomini subiungere contenti sunt. Ita sensum ultimorum servant, in prioribus autem communis vitii participes sunt, ut impudicum et male marem, res longe diversas, easdem putent. (2) Longe plurimi<sup>9</sup>) autem pessime ultima e prioribus explanaverunt, quasi se Catullus etiam in fine a crimine impudicitiae sive, ut illi, infamiae defenderet. Itaque basia pro turpibus basiis dicta contenderunt et, rectissime sic quidem, ad Lesbiam referri posse negaverunt. Inde ea vel ad c. 48 rettulerunt, quasi quicquam Catullus turpitudinis in eo invenire posset, si puerum bellum basiaret, vel ad perdita carmina ad hoc inventa. Sed improbi interpolatoris est existimare Catullum id quod agatur tacere et de numero basiorum dicere, ubi in qualitate res posita sit.

II. Nunc dicamus, quomodo res cum interpretatione priorum versuum cohaereat. Id fit eo, quod, insoliti generis minarum peculiarem causam cum quaererent, id cum argumento carminis coniungere studuerunt. Cum autem in fine manifestum esset Catullum ideo pedicationem et irrumationem minari, ut se virum esse quam simplicissime et manifestissime probaret, cumque falso, ut diximus, hunc finem partem argumenti esse crederent, inde coacti sunt etiam cetera ita interpretari, quasi Catullus contemneretur ut male mas, non reprehenderetur ut impudicus.

<sup>8</sup>) Ellis, Riese, Kroll (obscure tamen, nam loquitur, quasi prioris criminis oblitus sit), Rankin.

<sup>9</sup>) Baehrens, Merrill, Friedrich, Richardson, Kinsey, Schäfer, Quinn, Sandy.

Quod cum duobus efficerent modis, dictae factiones extiterunt. (1) Plurimi credebant Catullum, cum Furium Aureliumque cinaedos esse diceret, criminis telum retorquere. Sed crimen aliud esse vidimus. Nonnulli etiam dicunt Catullum pedicatione demonstrare velle eos cinaedos esse. Sed si hoc, etiam de se quod minime vult pius poeta demonstrat, nam ne antiqui quidem pudici hominis esse censebant cinaedos pedicare. (2) Ceteri impudicitiam concludebant mollitiam esse, sed pudicitiam quoquo modo definitam pedicatione probari non facile confitearis<sup>10</sup>).

Necessitas evanescit, si intellegitur pedicationis (sive alio modo violentiae allatae) quam nominare volumus punitivae multo plura apud homines exempla esse quam quisquam eorum, qui Catullum explanaverunt, cognovit<sup>11</sup>). Neque igitur est quod negemus has minas contemptum et iram quaqua de causa excitatam significare nec solum contemptum Catullum, sed etiam reprehensum eis uti potuisse. Opportunissime ad nostrum argumentum illustrandum nuperrime Ostia prodiit inscriptio parietalis, cuius auctor poenam, de qua agimus, gregi minatur eorum, qui parietes inscriptionibus inquinant, quam correctae exscribimus orthographia<sup>12</sup>): Πάντες δια(?)γράφουσιν, ἐγὼ μόνος οὐδὲν ἔγραφα· πνυγίζω πάντας τοὺς ἐπὶ τοίχῳ γράφοντας.

Sed quid de versu secundo? Quem plurimi ad veram infamiam duorum hominum spectare existimaverunt. Sed talis accusatio et ab argumento, ut vidimus, aliena est et a ceteris carminibus, quibus illi nominantur, prorsus abest. Melius nonnulli dixerunt pathicos cinaedosque eos appellari, quos Catullus

10) Hanc difficultatem multi viderunt et, ut fere fit, elegantiam duxerunt, e. g. Schäfer; "effectively, though paradoxically" Rankin.

11) Omnes afferunt locos Catullianos, partim etiam alios, ubi irrumationis minae contemptum significant (v. Thes. l. L. s. v.); comparatur et Graecum *λαίκαζε* et sim. (Kroll in addendis et Quinn citant ille Heraeum, hic Housman, Hermes 1931 = Class. Papers 3, 1157 sqq., qui de hac re disseruerunt). Paucis poenae Priapeae venit in mentem (Baehrens, Kinsey, Rankin), nemini occurrit, quod saepe apud antiquos moechi pedicatione cum violentia facta puniti sunt: Hor. sat. 1, 2, 44 et 133; Val. Max. 6, 1, 13; CIL 4, 1261; cf. Cat. c. 56, de quo, et ipso male intellecto, v. nostras dissertationes infra adn. 17 citandas; etiam illa *ζαφανίδουσις* (in anum adulteri immissio radice), cuius mentio fit Ar. nub. 1083 et alibi (v. Ellis ad Cat. 15, 18), est pedicationis imago, quod nemo adhuc videtur perspexisse. Recentia e Propinquo Oriente aliundeque exempla affert T. Vanggaard, Phallos, Symbol und Kult in Europa, Monachi 1971 (ed. aucta ed. Danicae anni 1969, simul Anglice edita; gratias ago amico T. Lambrinos, quod primum mihi hunc librum indicavit), p. 98 sqq., in quibus etiam notissimus casus Lawrence 'Arabici'. Denique quorum infra adn. 17 mentio fiet, multa eiusdem generis attulerunt.

12) Inscriptionem edidit H. Solin, Arctos 7, 1972, p. 195.

pedicaturus et irrumaturus sit<sup>13</sup>). Sed si hoc, secundus versus e primo iudicandus est. Non sunt patiendi cupidi; potius pathici appellantur, quos impune licet contumelia afficere vindici iniuriae. Accusatio vana (vanam dico non solum falsam, sed ne dictam quidem, ut credatur, fictivam) idem valet quod minae vanae: ad poenam meritam spectat, non ad flagitia admissa. Quod similibus locis confirmatur. Simillima loco Catulliano est inscriptio Pompeiana CIL 4, 2360 (quales etiam hodie in parietibus legimus: Qui hoc legit, stultus est): *amat qui scribit, pedicatur qui legit, qui auscultat prurit, pathicus est qui praeterit, ursi me comedant et ego verpam qui lego*. Etiam hic vanis minis vel praedictionibus coniungitur accusatio et ipsa manifeste vana. Apud poetas veteres Europae septentrionalis inveniuntur loci, ubi in altercatione duorum virorum fortium alter alterum a quadam persona mythologica muliebria pati dicit, quae est mera figura dicendi et idem valet ac si illum infirmum bellatorem esse dixisset<sup>14</sup>). Denique quis ignorat eiusmodi accusationes, quas nec qui audierat credebat nec qui dixerat eum crediturum expectabat, apud antiquos frequentissimas fuisse<sup>15</sup>)? Apparet igitur va omnes meras formulas contemptum esse, e pedicatione punitiva explanandas, neque obstat nostrum carmen, quin duo homines eos amicos Catulli credamus, quos carmen undecimum ostendit<sup>16</sup>).

Denique cum rhetorica quaestio vv. 12sq., quam supra ex-

13) "Diese Schimpfworte wählt C. im Zusammenhang mit der von ihm ausgesprochenen Drohung" Kroll, et alii similiter; "proleptic" Kinsey.

14) "Alle Einherier Odins" de amore Gudmundi certant aliumque ita dictus "Schweinsberg-Troll" nona quaque nocte feminam facit. Haec et alia Vanggaard 74-8 eodem modo interpretatur quo nos.

15) Etiam Krollio huius rei in mentem venit. - Etiam aliis locis Catullianis similia inveniuntur. C. 25, 5 et 9 Caesar *cinaede Romule* appellatur absque omni conexione amatoria; potius reprehenditur, qui piger sit nec sua auctoritate utatur. Neque *cinaedis* c. 57 proprie dictum puto. Neque enim esset quod separatim *morbosi* dicerentur, neque v. 7 obscaenus: *uno in lectulo erudituli* sunt, qui una malos versus faciunt; ipse Kroll locos affert, qui lectum explanant, neque obscaenus sensus bene facit cum v. 9 sq., ubi novum argumentum incipit. *cinaediorem* c. 10, 24, de femina dictum, valet quod impudentem, insolentem.

16) Richardson eos initio amicos fuisse vult, postea inimicos esse coepisse, longe ut puto a vero. Praeter c. 11 etiam in cc. 15 et 26 amicitia supponenda (quod puerum amico commendat, ostendit suspicionem non tam seriam esse, neque talis est, qualis amicum offenderet), nec c. 21 cum ceteris pugnat. Solum c. 23 asperius, sed etiam id cogentibus ceteris iocus haberi potest, praesertim si amicos non aequalis sed minoris loci putas, quod etiam cc. 11 et 21 commendant.

planavimus, non multum absit a talibus formulis, apparet Catullum in initio et in fine carminis tribus modis idem dicere: "Vir sum<sup>17)</sup>; nemo impune me aggredietur". Neque ideo vero, iam ut repetam, hoc dicit, quasi illi eum virum esse negaverint, sed quod eum iniusta reprehensione temptare ausi sunt. Neque enim ultima pars virtutis est iniuriam defendere et respectum, quem homo homini debet, sibi vindicare. In media autem parte carminis poeta reprehensionem iniustam esse argumentis demonstrat; neque quicquam eo introducere licet e formulis ut ita dicam vindicatoris initii et finis.

Rem studuimus intra limitem nostrae disciplinae exponere. Sed ut plene intellegatur, sciendum est eam ultra initia generis humani originem trahere ex animalibus, e quibus orti sumus<sup>18)</sup>.

**Summarium.** In maxima parte carminis sedecimi Catullus se a crimine impudicitiae intemperantiaeque defendit (id quod verba plane dicunt), non mancae virilitatis neque infamiae muliebris. Quod critici falso e postremis verbis introducunt, quia non vident ea non esse veram argumenti partem: Catullus non iam refutat, quod adversarii dixerunt, sed quod ipse eos dicere posse suspicatur. Suspicionis autem causa est, quod ipsa iniusta reprehensione (ut nihil intersit, quid reprehenderint) se contemptum esse credit eiusque rei, ut fere solent homines, causam sibi fingit (I). Similiter, quod se eos pedicaturum quodque eos cinaedos dicit, duae variationes eiusdem merae formulae dicendi sunt, quae iram et contemptum significat, nec genus formulae cum argumento cohaeret, ita ut formulae initii et finis (vv. 1 sq.; 12-4) a proprio argumento (vv. 3-11) diligenter separari debeant. Res melius intellegitur, si pedicationem quam dicimus punitivam non raro apud homines inveniri scis et partem esse hereditatis, quam e mammalibus, e quibus orti sumus, accepimus (II).

Chiliae Holsatorum

Detlev Fehling

---

17) Vel *coleos habeo*, cf. Petr. 44, 14, ut etiam huius verbi, a re minime alieni, mentionem faciam.

18) Zoologi nuper demonstraverunt pedicationem punitivam esse instinctum, quem homo ex origine praehumana rudimentarie innatum retinuerit. In multis mammalibus mares maribus ascenduntur quasi copulandi causa. Quae ascensio iis signum superioris honoris est. Res est arte coniuncta cum hierarchiis, quae in societatibus animalium inveniri solent. -